

## ETA SIGMA PHI

### 58<sup>th</sup> Annual Latin Translation Contest (2008) Advanced Latin

*To be written as an examination, under supervision, within a maximum of two hours. No dictionary or other help is permitted. Please write in ink on every other line of the paper provided. The only identification on the contest paper should be the contestant's pen name.*

*Livy recalls Scipio Africanus' last appearance in public, before his self-exile in Liternum, where he spent his last days.*

citatus reus magno agmine amicorum clientiumque per mediam contionem ad Rostra subiit silentioque facto 'hoc' inquit 'die, tribuni plebis uosque, Quirites, cum Hannibale et Carthaginiensibus signis collatis in Africa bene ac feliciter pugnauit. Itaque, cum hodie litibus et iurgiis supersederi<sup>1</sup> aequum sit, ego hinc extemplo in Capitolium ad Iouem optimum maximum Iunonemque et Mineruam ceterosque deos, qui Capitolio atque arci praesident, salutandos ibo, hisque gratias agam, quod mihi et hoc ipso die et saepe alias<sup>2</sup> egregie gerendae rei publicae mentem facultatemque dederunt. Vestrum quoque quibus commodum est, Quirites, ite mecum, et orate deos, ut mei similes principes habeatis, ita, si ab annis septemdecim ad senectutem semper uos aetatem meam honoribus uestris anteistis, ego uestros honores rebus gerendis praecessi.' Ab Rostris in Capitolium ascendit. Simul se uniuersa contio auertit et secuta Scipionem est, adeo ut postremo scribae uiatoresque<sup>3</sup> tribunos relinquerent, nec cum iis praeter seruilem comitatum et praeconem qui reum ex Rostris citabat quisquam esset. Scipio non in Capitolio modo, sed per totam urbem omnia templa deum cum populo Romano circumiit. Celebratior is prope dies fauore hominum et aestimatione uera magnitudinis eius fuit quam quo triumphans de Syphace<sup>4</sup> rege et Carthaginiensibus urbem est inuectus.

---

<sup>1</sup> **supersedeo**= to abstain from (+ ablative).

<sup>2</sup> **alias**= at another time, on other occasions.

<sup>3</sup> **uiatores**= messengers.

<sup>4</sup> Syphax, king of Numidia, defeated and captured by the Romans in 203 BCE.